Arbitra

Cwierzowicz franc. Antonii: Laudatio Ju-
risprudentiae.

2337. Prawo.

ARBITRA
IN OMNI CAUSA
CONSULTISSIMA,
JURISPRUDENTIA.
Sive
LAUDATIO EJUSDEM
Circa primum ad Cathedram ingressum
per

M. FRANCISCUM ANTONIUM
CWIERZOWICZ,
Philosophiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, Utriusq; Juris BACCALAUREUM, Collegam Minorem, Contubernii Jurisperitorum electum SENIOREM, Publicum Authoritate Sacra Apostolica NOTARIUM.

In Lectorio Collegii CC. DD. Juris-Consultorum Almæ Uuiversitatis Cracoviensis,
Brevî proloquio
OFFICIOSE FACTA.

Annô quô
IVDICIo ChrIstI IMpLetæ natIones orbIs terræ.
Die Martis. 2ima Mensis Junii.
Typîs Seminarii Episcopalis Academico-Diœcesani:

eLegIa ConstAns DIaLogIsMo phILosophI et IVstItIæ.

P. Quæ Dea? J. Juſtitia. P. Cur torvo lumine ſpectas?
J. Neſcia ſum flecti tam prece, quàm pretiô.
P. Unde genus? J. Cœlo P. Qui te genuere Parentes?
J. Mi DEUS eſt Genitor; Mater & alma Fides.
P. Aurium aperta tibi cur altera & altera clauſa eſt?
J. Una patet juſtis, altera ſurda malis.
P. Cur gladium tua dextra gerit? cur leva bilancem?
J. Ponderat hæc cauſas, percutit illa reos.
P. Cur ſola incedis? J. Quia copia rara bonorum eſt:
Unus vix inter ſcelera mille probus.
P. Paupere cur cultu es? J. nam ſic juſtiſſimus eſſe
Qui cupit immenſas nemo parabit opes.

Perillustri & Admodùm Reverendo

DOMINO

D. JOANNI ANGELSKI,

Utriusq; Juris DOCTORI, Ecclesiarum; Insignis Collegiatæ *S. MICHAELIS* in Arce Cracoviensi DECANO, Parochialis in Mogielany Curato, &c.

DOMINO & PATRONO COLENDISSIMO.

P*Rimordia mei Juris sub gratiosi Nominis Tui Patrocinio in lucem quam videre cupiunt publicam proferenda meritò existimavi.* Perillustris & Admodùm Reverende Domine NEO-DOCTOR, Patrone Colendissime. *Neq; profectò sine causa; tum ut priscæ consvetudini, tum ut affectui quoq; meo erga* Perillustrem Dominationem Vestram *propensissimo & inclinatissimo, morem gererem. Consvetudini præprimis: quia me non latet; unumquemq; si in lucem publicam aliquid exponere contendit* Patronum *sibi quærere, ut aliquam saltim operis sui commendatio-*

nem Patroni *suffultus authoritate tueri possit, ac defendere. Affectui deinde; quoniam me svaviter ad id permovet, atq; mirum in modum concitat innata cordis* Perillustris & Admodùm Reverendæ Dominationis Vestræ *bonitas: singularis in rebus agendis dexteritas & comitas, summa prudentia, ante omnia verò ardentissimus in promovendo Cultu Divino Zelus, qui in plurium Collegiatarum; jam* Canonicatu *S. ANNÆ Cracoviæ, &* Procuratoris *ejusdem* Capituli *munere nuper gloriosè gesto, jam* Custodia Boboviensi, *jam* Decanali *ad præsens S. MICHAELIS* in Arce Cracovien: Prælatura; *ast potissimùm & maximè in cura & vigilantia Pastorali circa gregem Domini, in sua Paræcia Tibi commissum, in augendo decore* Ecclesiæ *Parochialis* in Mogielany, *imò jam tantopere adaucto; quot, quibûs & quantis documentis palam non enituit? Omnibus Te commendabilem reddit elegantissima bonarum artium, necnon solida sacrarum Literarum Legumq; peritia, quam* Cracia Pallas *pridem Philosophica Daphnide ornavit, nunc* Justinianeâ Laurea *jure meritissimo coronat. Quid dicendum? de illa invicta Tua in fide & obsequio erga omnes declarando constantia, & intemerato qualis Matre satos* Academiâ *decet animi candore, ex quo Magnis olim etiam Viris usq; ad ultimas fidelissimè es obsequutus vo-*

lunta-

luntates, (*) *hodie in Justinianeo* Academci Senatus *Sacrario factus es Cordium & affectuum Ara, mensuram Tui Nominis imples JOANNES; in pectore* Majorum *gratissimus Illis & semper ante hac dilectus, atq; optimè acceptus recumbis. Quare venio jam in conspectum Tuum tanquam ad* Principale, *cum accessorio primoq; isthoc conatûs mei* Juridici *partu* Perillustris & A. R. Dñe NEO-DOCTOR, *officiosa cum animi submissione postulans ac obtestans, ut eundem quamvis minùs cultum ipsoq; duntaxat artificio veritatis eruditum ac expolitum, sine verborum apparatu, pari suscipias ac à me Tibi defertur voluntate, siquidem:* Ornari res ipsa vetat contenta doceri. *præstatq; imperitæ loquacitati indiserta (omnibus numerîs inquilina Tibi) prudentia. Suscipias (inquam) hanc exiguam quamvis, claram tamen & apertam debitæ erga* Perillustrem & Adm Rñdam Dominationem Vestram *observantiæ & amoris testificationem, ego precari non desinam, ut* DEUS T. O..M. *Te* Perillustris & Admodùm Reverende Domine *corpore sanum, animô lætum, quàm altioribus* in Ecclesia sua Sancta *ornatum honoribûs in provectissimam ducat ætatem, ac* Doctorali *quam feliciter prehendisti Justinia-*

(*) Peril: D. DOCTOR egit Executorem Testamenti Perill. olim M. Clementis HERKA, U. J. Licent: A. D. 1759. demortui.

ſtinioneæ Laureæ, *amplissimos Cœleſtes uſq; in illam beatiſſimam ac feliciſſimam (quam ſinguli præſtolamur) æternitatem uberrimè Tibi profuturos, cum largis Benedictionibus annectat favores.*

Ita vovet

Perilluſtris & Admodùm Reverendæ Dominationis Veſtræ,

DOMINI, PATRONI COLENDISSIMI,

Obſequentiſſimus Servus

Author Operis mpp.

ORATIO.

ESt hoc in more poſitum AA. ut ii qui artem aliquam in publico præſertim Gymnaſio profiteri incipiunt; in laudes ejus non nihil priùs proloqui ſoleant, in hoc venerando legum & juſtitiæ Sacrario ſpartham ego & Profeſſionem literariam nanciſci cupiens, nobiliſſimam Juris ſcientiam laudaturus; laudes ejus à fine exordiri in animo duxi, hic cùm non alius ſit quàm ipſa æquitas & juſtitiæ conſervatio, in primo dicendi limine juſtitiam priùs non illaudatam relinquam. Hæc etenim aliarum Domina & Regina virtutum, cui omnes aliæ ſubſervi-

unt, à qua in omne humanum genus leges & jura manârunt, quæ benefactis honores & præmia, malèfactis ignonimias & supplicia proponens studia bonorum excitat, malorum improbitatem còèrcet, qua sublatâ non domus ulla, non Civitas, non hominum inter se societas, non ipsa deniq; rerum universitas stare ac tueri se vel punctum temporis potest. Illius originem si inquirimus è Cœlo est, è Cœlo cunas suas accepit, ibi viget, omniqué æternitate vigebit. Illa cæterarum virtutum propè omnium Parens & Altrix jure meritissimo vocanda, in qua harmonia quædam & pax totius animi, cum apto & optimè composito motu est reposita. Illa Sapientis (*a*) Regis oraculô; Regum firmat Thronos, neq; ulla alia virtus ad stabiliendam, conservandam, regendam Rempublicam hâc accommodatior potest reperiri. Cæteræ profectò suìs se quasi finibus continent, atqué etiam finè hominibus rectè exerceri possunt, hæc tota in hominum tuenda societate consistit, hinc humani generis conservatrix nuncupata, omnia honesta, omnia pacata amplectitur, nihilqué magìs curat, quàm ut homines mutuâ benevolentia conjuncti invicem vivant, & ab injuriis, seditionibus, odiis, inimicitiis, procul alieni existant, aliena non appetant,

(a) *Prov. 16. ℣. 12. & 25. ℣. 5.*

petant, quod Dei DEO, quod hominum; cuiq; ſuum tribuendo. Ob illam Ariſtides Athenienſis ob inſignem nempe juſtitiam, Græcorum felicitas eſt dictus, & ætas quæ illum habuit aurea appellata. Dum fulminat illa ſerenatur virtus, ad vibratum illius enſem adverſi ſcelerum motus conquieſcunt, nec audent frontem erigere ſcelera, in quorum capita vindex graſſatur juſtitia, ceduntq; crimina; dum cæduntur. Tolle juſtitiam & perit mundus, ubi juſtitia non eſt iniquitas dominatur, ibi cædes & rapinæ, furta, homicidia, timor & anguſtiæ regnant, ſecuritas nulla. Sicut omnia mala, omnia damna, omnem perniciem corporibus & animis ex injuſtitia evenire; at verò juſtitia ſalutem & incolumitatem, bona denique omnia effici ac contineri certum, ut in quàlibet ſolitudine, in quàlibet vaſtis & deſertis & ab omni hominum cultu ac conſortio remotis locis, ſvavior omnino vita, quàm in ea domo unde juſtitia exulat, eſſe videatur, ita omnem fructum, omnem dulcitudinem, omnem amabilitatem vitæ, vitam denique ipſam, qui juſtitiam tollit tollere videatur. Ejus beneficiô propè innumeræ Civitates à parvis & humilibus profectæ principiis, brevi tempore ad magnam potentiam pervenerut, injuſtitiâ; flo-

rentiſſimæ & opulentiſſimæ breviori tempore funditùs conciderunt. Quare ſapienter Perſæ; ei ex Regiis liberis, qui natu maximus erat, quiq; in ſpem Regni educabatur, cùm alios ad virtutem Magiſtros dabant, tum unum præprimis, à quo juſtitiam doceretur. Cenſebant enim juſtitiam primas inter Principes tenere partes, cùm ab illo ceu fonte quodam: inter cæteros ſit derivata. Juſtitiam enim & perpetuas illius (ùt Poetæ loquuntur) ſive comites, ſive ſorores, veritatem & fidem; pax & amicitia, & bonarum artium cultus, & omnium rerum expetendarum aabundantia conſequuntur. Eam ſi colerent omnes, nunquam tubæ, nunquam litui audirentur, arma aut exederentur rubigine, aut in ligones & vomeres conflarentur, belli & diſsenſionis, inimicitiarum; ne nomina quidem hominibus cognita eſſent. At verò zelantiſſima juſtitiæ Adminiſtra quænam quæſo nonne Jurisprudentia eſt? Illa: quod integrum à corrupto, ſincerum à turbido, apertum à verſuto differat, illa inquam utpote ex vi & ratione ſua imperans honeſta, vetans contraria, commiſſa puniens crimina, monſtrat. Illa à tyrannide Regnum, à privatis & ſeditionem malè olentibus conventiculis Civitas, Collegia à factionibus quantùm diſſideant; ob oculos

culos ponit. Hæc Consultissima scientia, ordinem (quem animam rerum vocamus) ita conservat, ut ad optatum felicitatis finem pro conditione cujusqué securè & pacificè ducat. Quare dum video tempus jam ipsum postulare, ut illud exequar, quod singularis Vestrum in me benevolentia nuper permisit, ut publicè hodiè in huncce locum prodirem, & nonnihil navatæ in hoc genere studiorum operæ specimen aliquod darem, vel saltim pro se aliquid ex hoc suggestu dicerem, præsertim cùm totum justitiæ fundamentum Jurisprudentia sit. Dicam profectò, summam eorum omnium quæ à me hodie dicenda sunt, hâc brevi verborum formulâ comprehendam, quod propono: Arbitram in omni Causa Jurisprudentiam esse probabo. Dicam autem non tam Oratorio more, nec duntaxat Scholastico, sed hujus loci morem gerendo umbratili & sedatô, plus ad docendum quàm permovendum vel delectandum, non ad faciendos clamores, sed ad silentium potiùs & attentionem obtinendam idoneo. Vos dicturo linguîs animisqué favete, imploro.

SI hoc apud omnes tritum, & pro vero semper habitum est, quòd verba eorum quæ intus animô concipimus signatoriæ quædam notæ, & velutì

vivi

vivi quidam characteres sunt, fieri nullo modô potest, ut is qui vim & robur hujus vocabuli Arbiter vel Arbitra, quid sonet? quid notet? quid ferat? percipit, in meam sententiam facilè concedere non videatur, dicto meo facilè subscribere nollet, & Jurisprudentiam hac laudationis compellatione non colat, quòd illa sit Arbitra in omni Causa Consultissima. Quamvis enim ad Sacras dictatarum veriùs quàm ex Tripode per suos Legislatores Legum non recurrerem tabulas, ex illis: Titulô (b) de Arbitris responsum habiturus, vox ipsa, nomen ipsum, huic rei pèr quàm consonum, plenô ore quodammodò inclamat, nomen Arbitri & rem, ab arbitrando, censendo & æstimando desumptum esse. Arbitri sunt Judicibus similes, qui in exortis partium controversiis Arbitrium suum & animi sensum edicunt ac pronuntiant, quô partes deinceps stare debent, tales verò vel à jure creantur vel ab homine, ex legis dispositione, vel partium conventione eliguntur. Ipsis enim mortales stamus casibûs, litibusq; undequâq; involvimur, adeò ut nemo ita sit abstractus, nemo ita securus, qui non strepitû forensi pulsetur, perinde pernecessum est ea consequi media, quibus nos à patentibus undiq; adversariorum tumultibus, æquè justè ac for-

(b) *XLIII.* §. 1.

titer

titer defendamus. Obinde utiq; constituta sunt judicia, leges conditæ, Processus Judiciarius adinventus, ut humana coërceretur audacia, tuta esset inter probos innocentia, in ipsis improbis formidato suppliciô refrenaretur nocendi facultas. *Can. factæ sunt. dist. 4.* Ex quo velut ex fonte emanat, omnem à nobis impendendum esse conatum, ut non tantùm justi evadamus, sed securi etiam à malignantium injuriis existamus. Hinc Julianus Imperator laudi sibi ducebat quòd Patrem Salvium Julianum Jure-Consultum haberet, Sacratissimus Justinianus Princeps laudatissimus, Jure-Consultos Antecessores suos amicosvé nominare non erubuit. Romani ipsi Domum Jure Consulti Asylum Justitiæ, Oraculum æquitatis opinabatur. Nullum enim angulum Reipublicæ sine Jurisprudentia, experientiâ rerum Magistra edocti, tutò & quietè consistere posse, certò certiùs asseverabant, iisq; qui leges Decemviralium interpretabantur, (Pomponio teste) Majestatem & authoritatem publicam concedebant. Majora dicam, fuit quondam tempus cùm in agris homines passim bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, nec rationi & animo quidquam; sed pleraqué imò omnia viribus corporis tribuebant. Non

Divi-

Divinæ leges, non humani officii ratio colebatur, & si quid rectè fiebat interdum, non proderat in commune omnium & multorum, utpote nusquam multis nisi in aliorum perniciem confluentibûs. Sed fecit Jurisprudentia peritissimorum Legislatorum ministeriô, ut vocaretur hominum genus & veniret in societatem, servaretq; jus privatim & publicè, utile ac necessarium. Dedere leges; Moyses Chaldæis, Chaldæi Babyloniis, Magi Persis, Zoroastes Bactrianis, Gymnosophistæ Indis, Minos Cretensibus, Hypodamus Milesiis, Druidæ Gallis, Solon & Cecrops Atheniensibus, Argivis Phoroneus, Spartanis Licurgus, Romanis Numa Pompilius, nostris Polonis (*c*) cum Lecho Miecislaus, & sic pro utroq; Foro ad nos usq; pervenerunt, sanctionibus suîs Orbe latiùs dominium sine exceptione in omnes extendunt, Dignitatibus & Personatibus, omnibus absolutè judiciaria arbitria ferunt, Jurisprudentiam Arbitram esse in omni causa ad oculum declarant.

Præceptîs Institutisq; Jurisprudentiæ hominum voluntatem, quæ facilè à medio virtutis deflectit, debere moderari, ejus arbitrio subesse, formam & regulam honestè vivendi, jus suum

cuiq;

(c) *Bielski Tom. imô.*

cuiq; tribuendi, neminem lædendi conſervari, pluſquam manifeſtum eſt. Neq; enim (ùt nemo huic inficiatur) trahi noſtræ voluntatis eſt, neq; cogi naturæ noſtræ, ſit tamen vî Jurisprudentiæ, ut ab illa trahamur libentes, cogamur inviti. Illa (*d*) ſi eliciat lachrymas fluunt ſvaviter, ſi furorem incutiat concipitur facilè, ſi iræ & odii faces ſubjiciat aluntur jucundè. Illa deniq; in mentis noſtræ motibus tanquam fluctibus concitandis, quidquid conatur, in conatu eſt facilitas, quidquid facit, in facto eſt voluptas. Ecquid itaq; quæſo tutius? qùam hanc exercere artem, quâ qui eſt armatus, præſidium amicis, ſpem alienis, ſalutem Reipublicæ affert. Illa illa unica eſt Jurisprudentia, alterum Theſei (ùt in fabulis Pòëtarum traditum eſt) filum, ad implicitos hujus vitæ errores facillimè explicandos. Hæc una altiſſimîs defixa radicibus, nullo conſumitur ævô, nullo ſubruitur artificio. Hanc qui ſequitur ducem; & portum quem quæſierit faciliùs capiet, & rebûs optatis potietur, & ſecuriùs illîs perfruetur. Hæc lux una actionum eſt humanarum, hæc in hoc pelago Mundi navigatium cynoſura, hæc potiſſima cuſtos juſtitiæ, firmamentum Regnorum, atquè decus & præſidium eſt Reipu-

B blicæ.

(d) *Robertus Turnerus.*

blicæ. (*e*) Contra hanc nemo unquam prorſus quid valuerit, hæc in mediis tenebris luxerit, domi & forìs claruerit, premetur ſed nunquam opprimetur, fluctuabit ſed non ſubmergetur. Si verò huc afferat mihi quis in medium Auream illam mentium Catenam, & ſvaviſſimam animorum illecebram fluidè dicendi Facultatem, plurimos huic nunquam ſatìs colendæ defero plauſus, aſt: mulcere verba poſſunt, tenere tantiſper poſſunt, ligare animos hominum in longam temporis ſeriem legum; non fruſtra à ligando dictarum, & juris proprium eſt. Hinc eſt: quòd Cæſar Auguſtus ne quiſquam niſi Principis Decretô de jure reſponderet ordinavit, & ut majori ſplendore Sacra Legum reſplenderet Sapientia, & eminentiori eam profitentes fulgerent dignitate effecit. Porro ſicut corpus ſine mente, ſic Civitas ſine Jurisprudentia, nihilq; eſt tam aptum juri conditioniq; naturæ noſtræ, quàm illa, ſine qua nec domus ulla, nec Civitas, nec gens, nec univerſum hominum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe Mundus poteſt. Fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens & animus, conſilium & ſententia Civitatis, tota poſita eſt in Jurisprudentia. Ab omni quidem ævo

DEUS

(e) *Chriſtophorus Varſevicius in ſua Paradoxa.*

DEUS Optimus Maximus artes ingenuas extare voluit, velut Pharum & propitios quosdam ignes, in tempestuoso hoc mari lucentes, extare (inquam) voluit, præcipuè verò Jurisprudentiam, quæ non ornamentum solùm Reipublicæ, sed & auxilium est & fulcrum Hanc si tollas; quid? nisi squallor & tenebræ nos occupant mortales, & ferox quædam & ut veriùs loquar ferina vita. Hæc Homeri veriloquiô, hos cœtus hominum solvit, jungitq; vicissim, hæc efficit: ne armorum ferriqué potestas, confundat jus omne manu, scelerique nefando nomen sit virtus. Hæc deniq; jus suum cuiq; tribuit, DEO cultum, Regibus obedientiam, majoribus reverentiam, minoribus comitatem, oppressis tutelam servat, etiam genus humanum in amore, & concordia fovet invincibili. Et ut extranea testimonia non quæram, magnum semper fuit atq; erit omni liberæ genti Jurisprudentia decus, maximum autem tutelari huic Regno, quod in hac propè modum sola, apud homines, his potissimum temporibûs veræ & germanæ existimationis vestigia appareant, in intricatis quorumvis negotiorum controversiis certiora, quàm ex Tripode responsa, tanquam ab Arbitra Consultissima Diva Jurisprudentia discussio habeatur.

 A sen-

A ſententia Arbitrorum appellationem regulariter non concedi, (*f*) ſacroſancta Legislatorum edicta, immortalia æquitatis teſtantur monumenta. At verò extra Divæ Jurisprudentiæ Sacrarium quænam & ubi exortarum controverſiarum ne dicam dari; ſed vel cogitari quidem poteſt, juridica & officiosè cum authoritate diſjudicandi facta deciſiô? Nonne Juriſprudentia Divinæ Juſtitiæ Interpres, ſuprema vitæ humanæ norma, rationis vindex ac virtutis nervus? nonne cujulibet jurisdictionis reverentia, & Sacroſanctarum legum reſpectus, nonne inquam ſunt veriùs quoddam cujusvis Reipublicæ Palladium? nonne illa ſolâ florentiſſimæ Reſpublicæ ſuſtentantur? Illa docet DEUM timere, Religionem venerari, honorem ferre Parentibus, Patriam diligere, cunctis prodeſſe, nocere nulli, fraternæ charitatis vinculum tenere, pericula ubi & quando id ſufficiens perſvadet ratio ſuſcipere, opem ferre miſeris, bonis viciſſitudinem rependere, æquitatem in omnibus obſervare, Securitas porro bonorum ipſa. Illa quarumvis majoris momenti caput & cardo rerum, quô vertentis cauſæ tota ſumma (*g*) capitur, totaq; collectio velut in

Iliade

(f) *Cap. Sanè Extr. de Arbitris, juncta l. 1ma C. eod.*

(g) *Caput à capiendo.*

Iliade comprehensa, ùt enim nulli membro bene potest esse si à suo capite discedat, sic nulli Reipublicæ nisi cum suo capite (Magistratum intelligo) aliis hominibus velutì commembris vinculô legum à ligando (ùt supra) dictarum, ope Jurisprudentiæ conjungantur.

Absit à Serenissimis Regnorum Regumq; Soliis Arbitra hæc, Sceptra tenebit impietas, Magistratuum fasces scelus præferet, non diligenti manu mittenda erunt fulmina, quòcunq; ferentur, in scelestum casura. Non hospes ab hospite tutus, non publica hinc & inde commeantium manebit securitas, vis inferetur in foro, in itineribus publicis cædes & spolia, in privatis domibus rixæ & odia, in Templis & Divorum Ædibus sacrilegia, potentiorum in inferiores, superiorum in debiliores, tyrannica sinè delectu grassabitur dominatio. Verbo rem complectar in uno; sine Diva Themide quid erunt Regna? nisi publica latrocinia, quid Imperia? nisi aperta sanguine & cædibûs plena theatra, quando quidem districto illius gladiô totam Regnorum serenari fortunam palam est, commotis è contra illius fulgoribûs densam malorum dominari caliginem, sole clarius. Ab appensa justissimô Divæ Themidis scrutinio æquitatis bilance non modò causarum; sed

& ipsa

& ipſa inſuper Orbis totius dependet univerſitas. Hæc ſcelerum Vindex acerrima, quantò juſtiùs deſævit in crimina, tantò hos quos punit, ipſa etiam mente pacatiores reddit. Hæc homines in Civilem coegit ſocietatem, juxta quam & virtutes exercerent ad quas ipſa impellit ratio, & procul omnia impia flagitia devitarent. Et ideo domus Jure-Conſulti (ùt ſupra memini) procul dubio eſt totius Oraculum Civitatis. Teſtis eſt hac in re Quintii Mutii Jure-Conſulti janua & veſtibulum, quod in ejus infirmiſſima valetudine affectaq; jam ætate, maxima quotidie frequentia Civium ac ſummorum hominum concurſus verſaretur. Ad Juriſprudentiam nimirum omnes recurrunt, ad hanc ſinguli ſupplices extendunt manus, Arbitram in quavis pro ſe cauſa Conſultiſſimam venerantur univerſi. Illa eſt unica & ſola optima pro omnibus in omni cauſa Arbitra, ſive ut impellat homines, ſive ut doceat, ſive ut concitet, ſive ut reflectat, ſive ut incendat, ſive ut leniat, ſive ad paucos, ſive ad multos, ſive ad omnes, adeò: ut exclamare ſit fas, o miram Juriſprudentiæ rationem! quam in quaq; cauſa nemo evitare poteſt, ad quam quivis omnino tanquam ad ſupremam Arbitram recurrere debet.

Certum

Certum eſt apud omnes, Principes Viros, qui ad gubernacula Reipublicæ ſedent, & ſibi ſubditos populos gubernant, à DEO Optimo Maximo in ſede honoris ea de cauſa præcipuè eſſe collocatos, ut ſubditos ſuos ita regant ut beata eorum vita ſit, hoc eſt: ut opibûs firmi, copiîs locupletes, gloriâ ampli, virtute honeſti ſint, ipſiq; vitam agant cum omni pietate & honeſtate Hoc ut illi faciliûs opere compleant Arbitrâ Regnorum Jurisprudentiâ ſummopere illis opus eſſe, quis non videt? Hæc enim verò (*verbîs Bieżanovii loquar,*) Thronos Regum & Purpuras informat, (*h*) ne ad iniqué geſti Imperii cenſuram erubeſcant. Felix adamas (diligentem hujus nobiliſſimæ Scientiæ cultorem intelligo) qui Divæ hujus Præſidis Caput, quô nullum auguſtius coronat, ſine quo etiam Auguſtiſſimi Cæſarum acephali ſunt, & centoculi quantumvis Argi; ſinè oculo, ſine mente. Illa Regibus & Principibus Dynaſtis, qui ſubjecti ſibi populi moderantur habenas, in omni cauſa recti honeſtiq; eorum regiminis Arbitra eſt fideliſſima. His utiq; (procul dubio) arbitriô ſapienti opus eſt, cùm enim omnium oculi tendant in actiones

corũ

(h) *In Paneg: Aſtræa Sarmatica. Andreæ Krupecki U. J. D. Can: Cath: Crac. ſcripta.*

eorum; necesse est eos alienos esse ab omni eo, quod in plebe vel excusari potest, vel faciliùs condonari. Habet nimirum & aliis superemi-nens arbitraria potestas suam servitutem, Regi enim non æquè licet agere, quod cæteris. Aptè hac in re Seneca in Tragœd. Thyest. potenti cuidam scribens: *multa tibi non licent, quæ humilibus & in angulo jacentibus* (i) *magna servitus est magna fortuna.* & paulò infra subdit. *non licet tibi quidquam arbitriô tuo facere:* Jurisprudentiæ munere rectè qui funguntur, nonne sunt publicæ utilitatis Defensores? humilium & tenuium tutores, superborum repressores, bonorum amatores, veritatis cultores, malorum hostes, vitiorum inimici.

Quemadmodùm enim multùm refert Imperatoriam Majestatem legibûs armari, ita non minùs Juris legumq; Facultatem authoritate Principum Virorum decorari. Imperatoriam verò Majestatem, non solùm armîs decoratam, sed etiam legibûs debere esse armatam, magnus ille Imperator Justinianus præclarè censuit, ut utrumq; tempus & bellorum & pacis rectè possit gubernari, & Princeps ipse non solùm in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tra-

(i) *Cap. 26. Consolat. ad Polybium* ℣. 1.

mites calumniantium iniquitates propellat, fiatq; tam juris religiosissimus, quàm victîs hostibus triumphator magnificus. Præsertim quòd omnes ii qui adipisci veram gloriam volunt, justitiæ officiis ut fungantur, est necessum. Illa illa Diva nempe Jurisprudentia, amicam studiis tuetur tranquillitatem, audacium hominum insolentiam comprimit, ex obscuro & ignobili natalium loco ad publicam hominum existimationem profluere facit, vitæq; rationem non ex alicujus Civitatis præscripto, sed ex sui ipsius instituto moderatur. Jurisprudentiæ, tanquam fundamentali petræ non privato uniuscujusq; arbitrio, secura Rerum publicarum innititur gubernatio, præscriptæ ab illa regulæ, regulæ sunt bonæ gubernationis, & viæ Regiæ rationis status. Per eas tanquam per certas quasdam lineas, Reipublicæ navis secura navigat; Præscriptæ illius Regulæ, muri sunt Magistratûs, oculi & anima Civitatis, vinculum populi ac frenum, quod eam regit ac corrigit. Jurisprudentia felicior Regnis & Regibûs fabuloso illo apud Pòétas Oedipô, dubia ænigmata solvente, vel Mercurii caduceô, ùt inter colluctantes in via colubros, sic inter partes sibi controversas tanquam Arbitra in omni causa litem dirimendo.

Instabilitati voluntatis, quæ tot affectibus & passionibus est obnoxia, imò per se cœca, decisivum haud potuit rectè committi judicium, nisi illud Diva Jurisprudentia in suam accepisset bilancem, ut certis quibusdam decretis & fixis statutîs, à ratione & prudentia profectis, quæ perinde omnes & absq; discrimine obligarent, illa in officio contineretur. Obinde utiq; sunt condita: leges ut earum motu humana còërceretur audacia, tutaq; esset inter improbos innocentia; neq; enim tyrannis aliud quidquam est, quàm inconsulta quædam legum oblivio, dum Princeps authoritatem illarum sibi temerè arrogat. Hoc Roma olim fusis ubertim lacrymîs deplorabat, tanquam potissimam servitutis suæ causam, quòd nimirum Augustus legum munia ad se traxisset, ut Imperium tyrannide premeret. Leges olim ut significarent antiqui debere esse perpetuas, tabulis æreis eas consignabant, & DEUS illas in lapide æterno insculpsit, Digito suô exaratas. Lex Divinæ Benignitatis Inventum atq; munus est, cujus præsidiô improbi metu pœnarium in officio & debita obedientia retinentur, boni verò in pace vivunt, ab injuriis improborum tuti sunt. Lex rigoris excusatio, elevatio gratiæ, invisibile Principis brachium, quô Reipu-

blicæ

blicæ habenas moderatur. Rex & lex unica nonnisi discrepant literâ, & quid aliud Rex qùam lex loquens, quid aliud lex qùam mutus Rex?

Nonne sacrosanctarum custodia Legum Civitates continet? hâc certè custodia inter Cives & vitæ communio facilè retinetur, hujus deniq; solius ductû Respublicas feliciter administrari, & regna rectè gubernari posse plus qùam manifestum est. Duo enim sunt propter quæ homines adinvicem sociantur, & sine quibus societas eorum adinvicem durare non potest, scilicet commoditas & securitas, commoditas quò ad se ut vitæ necessaria consequantur, securitas quò ad alios, ut sibi à rebus contrariis non noceatur. Quod igitur à nobîs ratio, sive nobiscum natum lumen rationis impetrare non potest, ut hìc piè, justè, & sanctè vivamus, certè impetrare debet ac potest legum peritia. Diva nimirum Jurisprudentia, legibûs suis luculenter edocens, ac quotidiè nos admonens, bonis quidem præmia virtutum; malis scelerum pœnas proponens. Illa est sitientibus justitiam gratiosior & admirabilior qùam stella matutina, utilior porro & fertilior est hominibus, qùam agris pluvia serotina. Sancita illius integerrimè si non servarentur statuta, ni-

ta, nihil aliud profectò foret, Principum & Regum Imperium, nisi magna rerum confusio, Magistratus pene degenerarent in latroncinia. Ad præscriptas Jurisprudentiæ regulas res omnes dirigere omnino necessum, non è contra: regulam rebus Juris & æqui rebus accommodare, quemadmodùm regula Lesbia qùod è plumbo esset (*k*) facilè omnibus lapidum figuris sesse aptabat. Verè ergo & sapienter dixerunt veteres. Legem esse animam Civitatis perindeq; felicem aut infelicem evadere unam quamq; Civitatem prout nimirum bonis aut malîs moribus est temperata. Sapientissimus homo Democritus duabûs rebus Rempublicam contineri dicebat pœnâ & præmio, earum autem rerum utraq; in manu ejus est, qui munus sustinet judicandi. Audiamus quæso quid hac in re lyrica Sarbievii cecinit Musa. (*l.*)

Jam sacræ leges & amica legum,
Jura Civiles cohibent tumultus,
Et Fides, & fas, & aperta læto
Gratia vultu.
Jura pacatis dominantur agris,
Jura compescunt grave classicorum
Murmur, & currus, & hiulca rauci,
Fulmina belli.

Le-

(k) *Didacus Saadera Symbolô XXI.*
(l.) *Lib. 2dô Lyric. ode. 12mâ,*

Leges si abrogentur & cuivis licentia facien-
di quidquid voluerit data sit, non solùm Respu-
blica pessum ibit, sed ne quidquam intererit in-
ter nostram & ferinam vitam. Multitudo co-
alescere in unius communitatis corpus quanam
ratione quæso præterquàm legibus potest? nulla
sanè: lex omnis invidiæ nescia, legibûs qui ser-
vit DEO servit, quas ideo accepimus, ne sui
quisq; doloris vindex sit, nec minùs oportet Ci-
ves pugnare pro legibus qùam pro mœnibus, eò
quòd absq; legibus Civitas nullo pactô incolu-
mis esse possit; absq; mœnibus possit. Lex pro-
fectò ad hoc data est ut hominem malè sua liber-
tate utentem, quò priùs ferebatur improvidus
& per præcipitia labebatur quasi frenô retineat,
& ad illam compositîs (ùt ajunt) doceat ince-
dere pedibus. Quemadmodùm igitur leges bo-
nas condere, & in omni Republica servare bo-
num est, ita disceptationes & controversias legi-
bûs definire optimum est judicandum, præser-
tim cùm inter homines quotidie nascantur con-
tentiones de rebus dubiis, quas dissolvere non a-
liter qùam legum beneficiô est concessum. Justi-
tia utiq; quæ in illis fundata est, suum cuiq; tri-

buit,

buit, alienum non vendicat, utilitatem propriam negligit, ut communem custodiat.

Remota illâ & non servata in Regnis, quid sunt ea? nisi magna latrocinia, absq; hac nec Respublica, nec exiguus hominum cœtus, imò nec domus quidem privata constat. Tolle justitiam à Regibus & Principibus, nihil à modò erit Principum & Regum Imperium nisi funesta omnium injuriarum colluvies, quia quantò major est potentia sinè justitia, tantò major est & iniquior violentia, unde fit, qùod si Princeps non utitur justitiâ vel illam præterit, simile quid perperrare videtur, ac si artifex curvaret regulam & lineam, secundùm quam rectè debet operari. Quod si ergo actiones singulorum Jurisprudentiæ perindequé Justitiæ regulis essent consentaneæ, & in illis nullus notaretur rectitudinis defectus, si negotia tam publica qùam privata juxta inviolabilem Jurisprudentiæ legem agerentur, ut ne Argus quidem in iis deprehendat, quod jure reprehendat, aurea conderentur sœcula, qualia sub Saturno fuisse fabulata est antiquitas. Fruerentur gentes & singuli de gente felicitate summa, quæ pro statu hujus vitæ in nos mortales vix cadere potest. Qùam primùm verò à sacrosanctis Jurisprudentiæ legibus disceditur, subitò omnia

confun-

confunduntur, & felicitatem inhiantes ardenterq; præstolantes se infelices & miseros faciunt, fortunam accusantes, cujus ipsimet sunt fabri. Non satìs ergo est, quòd suprema exortarum controversiarum Arbitra Jurisprudentia sit, ast etiam quòd sine exceptione, omnium; quòd in omni causa omnibus colenda. Justitiæ enim actus & officia sunt (m) *honestè vivere, neminem lædere, unicuiq; quod suum est tribuere.* Quod totum non modò opportunum ast etiam necessarium omni tempori, omni personæ, omni sexui, omni conditioni & ætati, quod non item stringit in officiis & actibus aliarum quamvis selectissimarum plurium virtutum. Hujus simulacrum ab antiquis pingi solebat, Virgo facie decora, oculîs pellucentibus, vultu pudico & modesto ad gravitatem composito, quâ in universum hominum genus seriò animadvertente, nihil in hominum cœtibus injustum, nihil dolosum, nihil sceleratum regnare potest. Hâc Arbitra utuntur Summi Pontifices, Reges, Cæsares & Duces magnanimi, in Tribunalibus, Curiis, Senatûs Consultis, quâ publicis, quâ privatis consultationibus, electionibus aliisvé actibus canonicè fieri solitis, præscriptam ab ea solemnitatem manutenere sunt ad-

strícti,

(m) *In prælim. Instit. Imper.*

ſtricti, in eam ultro omnes & univerſi partium Orbîs Regnorumq; Status compromittunt. Per eam tam Spiritualis ſeu Eccleſiaſtica, quàm Civilis ſeu Politica Juriſdictio & poteſtas firmatur unicè conſervatur. Hujus Arbitræ Aſſeſſores Conſultiſſimos illos *Marcellos*, *Manticas*, *Majorettos*, *Maſcardos*, *Merlinos*, *Ulpianos*, alioſve ſexcentos Juris Antiſtites, ad ſummos Dignitatum apices novimus eſſe evectos. Univerſæ inſuper ſcientiæ quod in animis hominum innata quam vis (*n.*) ad ſe perdiſcendas ſtudia excitant, ea Jurisprudentiæ debent, nam quis quæſo libenter huic non ſuccenſebit? quòd hæ omnes & ſingulæ quò ad ſervandum ordinem & methodum in iis quæ tractant jure ſuo utuntur, eôq; quodammodò regulari videntur. Illa cæteris humanioribus artibûs quàm ſit longè præſtantior, liquidò conſtat: adhuc enim abſq; aliis Regna ſtare poſſunt, abſq; legum notitia & accurata earum obſervantia nequaquam poſſunt. Fideliſſimæ illæ Divinitatis Aſſeclæ, pronubæ felicis æternitatis Fides & Religio, à juribus plurimum propagari, ab illis acerrimè defendi dignoſcuntur atq; promoveri. Sed nullum eſt tantum orationis flumen, tanta dicendi vis & copia, quâ laudes hujus

(n) *Homo naturaliter ſcire deſiderat. Axio: Phil.*

hujus nobilissimæ scientiæ non modò ex æquo comprehendi, orando circumscribi, sed vel pro modulo saltim attingi possint. Illa: quamvis ultima Cœlituum terras (Diva nempe Astræa) reliquit, non tamen ita se totam rebus humanis eripuit, ut è Cœlo in terras non prospiceret, judiciisq; populorum etiamnum non præsideret, gemmîs Regalibus coronata. Gemmæ illius sidera sunt, sed gemmæ animorum & sidera Orbîs, non alibi quærenda nisi inter vicaria illius capita, Arbitros videlicet justitiæ, qui dum ex Tribunali Justitiæ oracula proferunt, gemmas Orbi loquuntur, & inter alta noctium internarum conticinia claritudine mentium ùt sidera fulgent. Tolle has juris & æqui lampades, solem de Cœlo sustulisti. Tolle has de corona justitiæ gemmas, & ipsæ Regum coronæ sine pretio, non obryzum, non vilis scoria erunt. Magnus hucusq; & semper apud posteros habebitur olim, Pientissimus hujus Almæ Universitatis Fundator Jagello, quem Regium (*o*) sceptri decus diadema fasces & Purpura non modò in se sed & successoribus Nominis sui, & Throni Regalis propè per quatuor (*p*)non interruptim sœcula tantò ad gloriam ornârunt; Ille inquam purpura, soliô Lechico & Co-

(o) *Martinus Winkler Orator Academ.*
(p) *Cromer in Hist. Polona.*

rona Magnus, tot magnorum operum geſtîs pro fide Orthodoxa Genteq; Polona Major; ſed nec minor Aſtrææ Sarmaticæ Capite coronato, quod cùm in Regno Sapientiæ ad ſummum extulit, totam ſimul ignaram legum barbariem triumphavit. Debet ſanè Auguſto huic Principi Polonia, qùod exotica Themide foliisq; Sibyllæ jam Sarmata non egeat, nec ad Cortinas curſitet Delphicas ut ex Tripode reſpondeat, cùm hìc apud Palladem Jagelonicam in hac Cathedra Juridica, juſtitiæ Thronum Aſtræa erexerit, in qua *Petro Wyſz de Armis Acervus, Epiſcopo Cracovienſi*, qùod ad primam in ea Juris prælectionem os Pontificale aperuit (*q.*) ſpecioſiſſimus apud poſteros auguſti operis eſt triumphus. Thronum hunc Cœleſte ego dixerim firmamentum, in quo ſidera primæ magnitudinis ſupra quartum propè ſœculum tot jam Orbis Polonus recenſuit, quot Clariſſimis Jure-Conſultis Aſtreæa in eo coronata refulſit. Attollunt illius gloriam, Celſiſſimum Nomen Principis CZARTORYSKI Epiſcopi Poſnanienſis, necnon tot Infulata Capita *ILLUSTRIS-*

(q.) *Annô Domini 1400. Petrus Wyſz Epiſcopus Cracovienſis, Sanctimoniâ vita atq; prudentia Civili Celeberrimus, primam in Jure lectionem in Academia publicè ex Cathedra prælegit. in hac verba legitur apud M. Andream Buchowſki Canonicum Collegiata S. ANNÆ, in ſuo opere ſub titulo:* Gloria Domini ſuper Templum Sanctum ſuum. *A. D. 1703. in lucem edito, deſcriptionis Eccleſia S. Anna Crac. parte 1ma Cap. 1.*

STRISSIMI nempe: JOSEPHUS ZAŁUSKI Kijovienſis, ADAMUS KRASINSKI Camene-censis, ANTONIUS OSTROWSKI Livoniæ & Piltinensis, FRANCISCUS POTKANSKI Patarenſis, & Officialis Generalis Cracoviensis; HIERONYMUS WIELOGŁOWSKI Bendenſis, Premysliensis, Suffraganei; LUDOVICUS RIAUCOUR Ptolomadenſis, Antiſtites. Decora decoribus adaugent ſelectiſſima primarum in hoc Regno Cathedrarum Ornamenta, ac pretioſiſſimi Alti Sanguinis Uniones: MATHIAS MOSTOWSKI, MATHIAS ŁUBIENSKI, GABRIEL PODOSKI Referendarius Regni, FRANCISCUS CZERNY Coronarum Regni Cuſtos, CHRISTOPHORUS SZEMBEK, ANDREAS POTOCKI, ANDREAS ANKWICZ, JOSEPHUS NIEWIESCINSKI, PAULUS KOSICKI, GEORGIUS DOBRZANSKI, THOMAS SZANIAWSKI, MATHIAS PRUSKI, Metropolitani Gneſnenſes, Leopolienſis, Cracovienſes; JOSEPHUS MIASKOWSKI, JOANNES KRALL, CAJETANUS GLISZCZYNSKI, JOSEPHUS ROKOSSOWSKI, Poſnanienſes; (r) MATHÆUS BŁĘDOWSKI,

(r) *Bonaventura* TURSKI *Gneſnenſis*, *Martinus* ZEROMSKI, *Archidiaconi: Nicolaus* LIPSKI *Canonicus & Officiales Generales; Cracovienſes. Antonius* GRZEGORZEWSKI, *Franciſcus* POTOCKI, *Płocenſes; Theodorus* HOWEL *Scholaſticus Livoniæ, Sigilli Regni Secr: in hac Univerſitate creati olim U. J. DD. non ſuperſtites.*

WSKI, BASILIUS ZŁOCKI, SIMON KIEŁCZEWSKI, Vladislavienses; STANISLAUS POTKANSKI Scholasticus, JOSEPHUS GLINSKI Canonicus, Płocens: ANTONIUS TROUPP. Premysliensis; CASIMIRUS KLEYN Chełmensis; Cathedrales Prælati & Canonici, aliiq; plurimi longo syllabô recensendi, qui frontes suas ad Infulas natas, ad magna de Ecclesia & Patria cogitamina exporrectas eorumq; capaces, Doctorali in Utroq; Jure moderno etiam sœculo (quamvis superiora consultò prætercam) in hoc Craciæ Themidis Archilycæo submisere Laureæ. Sed nec in Vobis *Perillustris Reverendissime Domine Facultatis Juridicæ DECANE, Perillustres Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini Utriusq; Juris DOCTORES, & PROFESSORES*, Vestris meritîs scientiis, virtutibus, laboribus Academicîs Celeberrimi, Patres & Patroni mei Observandissimi. Nec (repeto) in Vobis absq; lucis eruditæ augmento coruscat, quando splendidissimam rerum faciem Vestrarum nitor mentium & excellentia ingeniorum apud Craciam Themidem reddit. Vestrîs idcirco favoribus plus ultra me prosequi non dedignemini. Parcite verò oro atq; obsecro, quòd non affectatô styli cultu or-

tu or-

tû ornatam Arbitram in omni causa Jurisprudentiam, in medium Vestri hodie produxerim, Viri utiq; Juris legumq; periti non vanam eloquentiam captare eligitis, neq; eorum morem gerere imò forsitã improbare soletis, apud quos flores e fructibus; verba rebus præponderant. Vos enim hìc in præsentiarum veneror Eruditissimos in hoc Archilycæo Viros, quibus publicè docendi Utriusq; Juris munus præclarè commissum est. Vos inquam veneror, qui ita in eo genere profitendi in Cracia Alma hac Universitate Vos geritis, ut ipsa si loqui posset Jurisprudentia non certiùs, aut copiosiùs, aut majori cum dignitate videretur explicare sensus suos, qùam à Vobis ex Doctorali Vestro, vel isthoc Professorali suggestu quotidiè explicantur. Omnia ex suavissimo Vestrûm ore profluunt, quæ in hac Arte percelebri aut cogitari prudenter, aut disputari acutè, aut certò definiri ac statui possunt. Qui etiam tanto apud multos eosq; Magnos Viros in pretio estis, ut quasi Atlantes Cœlum; ita Vestrûm Authoritate Nobilissimæ hujus Artis & Consultissimæ Facultatis dignitas sustineri putetur. Sed Vestræ etiam hoc subscribat laudi, Cujus viva oracula estis, quam pace Vestra laudavi Jurisprudentiam, dum illam Arbitram in omni Causa supre-

pre-

premam esse deduxi, jamq; laudibus Vestris supersedeo. Quid igitur? finemne statim vultis faciam? *AA.* id enim à me jam expectari video, an priùsqùam desinam paucîs Vos Nobilissimi Adolescentes (Vos utiq; potissimùm spectat hæc omnis Oratio mea) ad Jurisprudentiam toto pectore amplectendam cohortabor. Incumbite obsecro, incumbite impensiùs, curate enixiùs hanc nobilissimam scientiam Vobis parandam, dignam ingeniô, dignam ætate, dignam splendore, Vestraq, nobilitate, Patriæ, Majorum Vestrorum gloriâ dignam, eam assequi omnibûs viribus studete precor, ut quæ hactenus à me dicta audîstis opere compleatis, multò aliquando jucundiùs prudentiâ gravitate & authoritate, Ecclesiam, Patriam, Altricem meam ac Vestram Matrem Almam Academiam Cracoviensem, honore Vestrò cohonestaturi. Huc florem ætatis Vestræ, huc omnes curas & studia conferte, Jurisprudentia utiq; æquè pacis ac togæ socia, imperii simulac libertatis optima Administra, in omni causa sua Vobis justissima arbitria edicet, in quovis vitæ statu & conditione sufficienter omnes informabit. Haud Vos deterreat ad decurrendum hoc stadium & prosequendum plus ultra serium in via Juris applicationis studium

urge-

urgeat imò laboris molestia, ac in discendo per-
plexitas, hæc utiq; generosos nutrit animos. Hæc
aliorum si deprimat non Vestras; imò erigat
mentes. Audite quæso elegantem quô Vobis Flo-
rus Romanus Historicus persvadet sensum. *Sole
gelu liquatur; sed sal concrescit, quæ ligna corrumpit
aqua est, ast quercum firmat, multum sibi frequenter
adjicit virtus lacessita. Ferrum quod sæpiùs canduit
durius est, nec radices altas agit seges nisì quam nix
oppressit.* Ubi verò meliùs istam egregiam indo-
lem? quam in plerisq; Vestrum ad magna natam
video, ubi istud ingenium? ubi istam partem æ-
tatis ad concipienda doctrinæ virtutisq; semina
capacissimam, ubi quæso suaviùs aut fructuosiùs
qùam in studio Jurisprudentiæ collocare potestis?
Idcirco: in Regulis Utriusq; Juris explanandis
(Adjutore DEO) facem ego Vobis præferam, &
quod abhinc in posterum mei muneris erit ex
hoc loco profitebor. Moram hac in re Vobis no-
civam esse nolo (*s*) neq; tamen quivis Vestrûm
ita mihi difficilis creditor erit ut in crastinum ex-
pectare nolit, præsertim qùod ista Lectio Sabba-
tivîs & ante festivalibus duntaxat diebus,
autē (*t*) indies ex professo tradi soleat. Cùm
ergo jam novi hujus muneris mei auspicia more an-
tiqui-

(s.) *Regula XXV. Decr: in 6to.*

(t)

tiquitùs recepto ſolemni Oratione à me Vobis in præſentiarum publicè commendata in accepto habeatis, ſtatui apud me proxima die Jovis quæ erit *Vigilia S. Joannis Bapt.* *horâ prima à prandiis*, in hocce CC.DD. Juris-Conſultorum Lectorio, hujus ſcientiæ Candidatorum Auditorio, primam Lectionem me traditurum, ad quam diligenter audiendam ea quâ decet humanitate invito.

DIXI.

RegI sœCVLorVM soLI Deo gLorIa.

IMPRIMATUR.

M. CASIMIRUS STĘPLOWSKI, Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR Collega Major, Facultatis Theologicæ DECANUS, & PROCANCELLARIUS, Eccleſiarum; Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviã DECANUS, Libr. per Diœc. Crac. CENSOR, &c. Univerſitatis Cracovienſis Generalis RECTOR. *mpp.*

Die. 17 Aprilis, A. D. 1763.

Cwierzowicz Franc. Ant.

Arbitra in omni causa consultissima iurisprudentia sive laudatio eiusdem.